

genera naturalia ob aliquam speciale notam, dum caetera convenient.

Spica est ubi flores sessiles multi in rachi subulata, s. pedicelli proprii adeo parvi, ut vix manifesti, non nimis rigide assumendum est terminus; si pedicelli proprii breves sed tamen conspicui et evidentes, *racemus* dicatur.

Spathae vagae in *Gynandris* v. *Iridibus* sunt potius bracteae, nec admodum proprie a me spathae dictae sunt in *Gynandris*.

Spadix simplex qui non dividitur in ramos floriferos.

Jacquiniae characterem dedi in appendice ad dissertationem meam dictam Floram jamaicensem.

Terebinthus Brownii an *Pistacia Tua* 6^{ta} Habeo arborem in Horto Terebinthi, cuius semina a Brownio lecta, sed huic folia perennia, rigidula, in *Simaruba* vero valde tenera et mollia sunt, quae mihi exsiccata.

Doleo quod non habeas 2^{dum} tomum Systematis naturae editionis 10, ut posses determinare ad quam phalangen pertineret novum genus, tum certe facilius erueretur.

Swietenia v. *Codene* *Tua*, quae adeo mihi paradoxa ex figura Hernandezii. Optarem quod vera prostaret figura et verus character. Si poteris communices, nec propalabo.

Pistia, an character Brownii genuinus?

Hedera nov. sp. etc. Brownian. t. 148. judicas diversam a *Brownii Aralia*. At scias me habere siccam plantam *Brownii*, quae absolute eadem est cum *Plumierii*.

130. n. g. *Cal. et cor. 5 petala difformes etc.* an affinis *Fumariis* v. *Monnieriae meae*.

212. An *Sideroxylo* affinis.

376. Anne poterit genere convenire cum *Coffea*?

308. An *Brunfelsia*?

459. An *Cerbera*?

221. An *Cinchonae species*?

Vide quam sit mihi impossibile judicare de plantis non visis e nimis brevi charactere, ignotoque habitu totius.